

gatam ac quiblibet passis iniuriam sine acceptione qualibet personarum iusticie copiam subministret. Ad quod ipsius precipue ac tocius christiane universitatis presidium non tantum utilitas, sed ipsa necessitas instanter invitat<sup>a)</sup>, cum experientia, que arcium dicitur esse magistra<sup>45)</sup>, luculenter edocente ipsa mater ecclesia paratum scisma habeat non immerito vehementer pertumescere<sup>46)</sup>. Ad quod submovendum vel saltem celeriter interrompendum exurgat ipsa regalis excellencia in adiutorium matris sue ac omnium nostrum de remediis oportunis diligentissime cogitando, taliter ut intencionis sue salubre propositum, quod de reformatione iurium Imperii ac ecclesie dei statu pacifico pia mente conceperit, in solemnem ac publicam prodeat nocionem. Et si tanta rebellium inventa fuerit protervitas, quod nec ad deum nec ad decus Imperii velint habere respectum, tam celebris tribunalis in eos materialis gladius exeratur<sup>b)</sup>, qui nullius appellacionis remedio suspendatur, sed in rem transiens iudicatam effectum debitum consequatur, ut in omnibus antiquus et debitus mos et honor Imperii conservetur!

Vacante siquidem nuper Sacro Romano Imperio per decessum dive memorie serenissimi principis et domini, domini Alberti Romanorum, Ungarie, Dalmacie et Croacie et Bohemie regis ducisque Austrie, Stirie, Karinthie, Karniole &c. ac marchionis Moravie<sup>47)</sup> iuxta legales sanctiones<sup>48)</sup> ac laudabiles hactenus observatas consuetudines reverendissimi in Christo patres ac illustrissimi principes et domini Sacri Imperii Romani electores sane<sup>c)</sup> ac rationabiliter ponderantes, quanta ex vacatione diuturna Imperii pericula possent evenire, ad certum locum ad hoc deputatum tempore nichilominus congruo ipsis ad hoc statuto in dei nomine convenerunt de electione futuri Romanorum regis in imperatorem promovendi prudentissime tractaturi. Tandem prehabitis, ut expediebat, multis diversis consiliis maturisque deliberacionibus, quibus multifarie recensitis ac masticatis, serenissimum principem et dominum nostrum graciousissimum, dominum Fridericum ducem Austrie, Stirie, Karinthie, Karniole &c., instinctu spiritus sancti, ut presumitur, in-

---

a) invitatis Hs.    b) exerceatur Hs.    c) sancte Hs.

<sup>45)</sup> Vgl. z. B. Richard von St. Victor, Benjamin minor, Migne PL. 196, 1.

<sup>46)</sup> Seit der Absetzung Papst Eugens IV. und der Wahl des Gegenpapstes Felix V. am 5. November 1439.

<sup>47)</sup> König Albrecht II. war am 27. Oktober 1439 verstorben.

<sup>48)</sup> Goldene Bulle (1356); die folgenden formelhaften Ausführungen sind vermutlich dem Wortlaute des (nicht überlieferten) Wahldekretes selbst entnommen, auf das ausdrücklich hingewiesen wird (S. 172); auch dies spricht dafür, daß Herres Annahme — siehe oben S. 165 — richtig ist.